

THESES,

QUAS,

LEGIBUS PRÆSCRIPTÆ

STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM

EXERCITATIONI INSERVITURAS,

VENIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS,

PUBLICÈ PROPONIT

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,

HISTORIÆ LITTER. PROFESS. P. O., PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ ACAD.
ATQUE STIPENDIARIORUM H. A. INSPECTOR,

Respondente

GUST. ER. ADOLPHO ESTLANDER,

STIPEND. PUBL., OSTROB.

In Auditorio Philosophico die XVII Nov, a. MDCCCXIX.

horis a. m. solitis,

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.



Thesis I.

Natura, ut lento ita certo pede in viribus humanis per usum explicandis vulgo procedente, duce quamvis optime succedat juventutis institutio, ipsi tamen naturæ, vel uni experientiæ, magistræ committendam nunquam esse tenellam prolem, & longam, qua sic eundem esset, viam, & innumeros, qui in devia haud raro rapiunt, casus rite considerans, quis est quin perspiciat?

Thes. II.

Reipublicæ igitur cum haud minus intersit, ut fructuosa instruantur cognitione civium animi juniorum, quam ut quique suis pares sint officiis atque muneribus: unde officium derivatur eorum, qui summas rerum administrant, videndi ne cognitionis, cuius necessariæ, comparandæ via ulli, deficientibus institutis litterariis, præcludatur; mirari sane licet, ab ipsis Græcis, clarissima litterarum luce gaudentibus & acerrimo earum studio ferventibus, eo usque neglectam fuisse institutionem juventutis litterariam publicam, ut debitam hujus curam vix ulla celeberrimarum civitatum illarum gesserit.

Thes. III.

Negligentiæ autem vel levitati tantum an tribuendum hoc sit, eo magis dubitare licet, quo certius constat, omnibus quæcunque hominem maxime ornant facultatibus, tam animi quam corporis, ineunte ætate exercendis, plurimum cæterum dedisse Græcos, nec omnem liberis educandi rationem
paren-

parentum arbitrii duxisse. Videmur nobis videre potius notionem, a nostra quidem alienam, educationis perfectissimæ, in bello vel republica gerenda maxime conspicuis virtutibus primas concedentem, unde nata opinio, in republica tantum, civium consortio atque exemplo, elementis modo litterarum non neglectis, bonum formari civem.

Thef. IV.

Nec nihil ad eandem rem contulisse videtur sensus libere simul ac sponte dandi ingenuis artibus studii, cui indulgens ad interiora nemo penetrat Musarum adyta, nisi Deo duce ingenique adjutus flumine, quod molium objectus quosvis rumpens, sua ipsius vi ad finem vel infinito spatio distantem properat.

Thef. V.

Vero autem, quod & in illa virtutis civilis & in hac scientiæ consummatæ notione lateat, haud negato, in dubium tamen vocari non potest, quin cum ingenia hominum incitamenti atque adminiculis egeant externis, quibus destituta vel torpent vel parum efficere valent, tum virtus, rerum omnium rudis, quarum cognitio haurienda est litterarum studio, ad rempublicam accedens, cæco quasi impetu acta a scopo plerumque aberret.

Thef. VI.

Bellicæ quoque virtutis vim, animos populi Romani, necessitate urgente ad arma sempiterna vocati, adeo fascinosos diu tenentem, ut pacis artibus fere nihil dare potuerit, quamvis principem fuisse concedamus causam, cur sero admodum in scholarum publicarum curam incubuerit, parum cum abfuerit quin ad occasum jam vergeret imperium; haud exiguam tamen neglectæ tandiu institutionis publicæ partem vitio vertendam putamus ingenio gentis, ad studia litterarum indefesso eo ardore colenda vix natæ, quo uno in iis, rite proficere potest, qui primoribus labiis copiam scientiarum delibasse haud contentus, arcana in fundo latentia quærit.

Thef. VII.

Thef. VII.

Quidquid sit, & quantumvis arctis circumscripta fuerit limitibus doctrina, in scholis sic dictis Cæsareis tradita, his tamen institutis, imperio Romano Occidentali superstitis, id boni certe debetur, quod interitum huic ferentibus motibus utut perterritæ, ex omnibus tamen ejusdem provinciis, ante medium sæculi sexti nondum exfulaverint Musæ.

Thef. VIII.

Dolendum autem maxime est, adeo longa non contigisse quibusvis ejusdem ævi institutis Romanorum litterariis otia, quin contra eversti imperii ætatem pauca omnino vel celeberrimorum tulerint. Sic Bibliothecarum, quibus conditis Cæsarium plurimi famam nominis insigni cumulo auxere, aliæ fortuitis ignibus incensæ, aliæ Christiano odio gentilem pestem ferro flammisque invadente dirutæ, ante incursiones Barbarorum imperii everforum perierunt; unde sequitur, interitum operum ingenii & scientiæ priscae clarissimorum, injuria Barbaris maxime vitio datum esse.

Thef. IX.

Causam vero, haud ultimam, cur perpauca clades eas majores effugientium antiquorum voluminum, nostra hæc attingere tempora, in materiæ ipsius, cui litteræ olim frequenter mandabantur, infirmitate, perpetuitati scriptorum æternitatem non conciliante, quærendam esse negaverit nemo, magnam Papyri vel chartæ antiquæ fragilitatem qui consideraverit.

Thef. X.

Nec tamen insitandum, perpetuitatis palmam fere præripuisse Papyrus illi, qua nunc in scribendo utimur, chartæ vulgari lintææ, quæ disjectorum quidem casus fortius quam nimis tenaci conservandi studio sepositorum requiem ferens librorum, ita maxime memoriæ nostri operumque nostrorum perennaturæ spem nobis scribentibus aufert,
